

1785, 4.

R. 325
ORDINARIUS
SENIOR CAETERIQUE ASSESSORES

FACULTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

CVM SPE
QVONDAM IN COLLEGIO LOCVM OBTINENDI
VIRO CLARISSIMO.

CHRISTIANO IACOBO EISENSTVCKIO


IVR. VTR. BACCAL. ET ADV. IMMATR.

D. IV. IVNII A. C. MDCCCLXXXV.

COLLATOS INDICVNT

INEST

*De vi et effectu Expectatiuae pluribus simul tributae
brevis disquisitio.*



ORDINARIA
SEMINARIO CATHOLICO ALEXANDRIENSIS
TYPIS ET IMPRENTA IACOBIS
PLATINI 1512
SUMMA IN VITROAE MARIE LIBERIS
CHRISTIANO TAGOLO DISPIRITO
D. IV. JANUARI 25. O. M. DEC. XIX.
COPERTINA LIBERIS

B. C. D.

C opiam nactus, plagulas quasdam prelo subiiciendi, neque inutilem neque ingratam rem facturus mihi videor, si paucis de expectatiuae feudalis pluribus simul et coniunctim datae effectu dissero. Differendi occasionem ex nobili controuersia nactus, quae hoc nostro tempore agitur. Videlicet Elector Saxoniae Iohannes Georgius, Secundus inter cognomines, suo et heredum suorum nomine, sortem fundosque gentis B. et M. beneficiario iure possessos, quam primum ad se redierint, ex ordine equitum suorum tribus, quippe Comiti a T. Dynastae ab F. et Nobili a W. eorumque posteris feudorum capacibus, nec non, extincta mascula prole, filiabus, *ihren Leibes-Erben und derselben Erben und, in Manglung des Männlichen Stanms, Dero Töchtern,* hoc iure se concessisse, datis in hanc rem litteris professis fuit, vt, eueniente apertura, feudorum illorum omnium possessionem apprehendendi, eaque, iure uestitutae in hunc euentum factae, sibi pro tertia parte habendi, singulis hisce donatariis singulorumque posteris copiam fecerit, hac insuper filiabus imposita necessitate, vt tertiam feudorum partem sibi oblatam, accepto iusto pretio, superstitibus reliquorum filiis relinquerent. Brevi tempore post contigit, vt expectiuarii Comitis a T. filius obiret, relictis hereditibus feudorumque suorum successoribus, testamento scriptis, filiabus, et agnato quodam his per fidei commissum substituto. Cui postquam agnato testateris, prole extincta, feuda obuenerunt, tandemque gens M. desit, su-

IV

per tertia feudorum ex hac deuolutorum parte lis est, Dynastae a T. quippe expectiuarii Comitis a T. heredis fideicommissarii pronepotibus eam sibi vindicantibus, eandemque posteris caeterorum promissariorum Dynastae ab F. et Equitis a W. perentibus.

Promissio feudi in diem, quo vasallus, cum eoque omnes principali simultaneaque inuestitura comprehensi defecerint, aliam ob causam res ad dominum redierit, facta, quae expectantia vocatur, promittens benevolentiam per se significat, praesertim, si a Principe fit subdito. In re praesenti Elector Serenissimus, singularē clementiam suam animumque donatariis ob seruitia et operas eorum egregias optimè cupientem sibi consilio fuisse, diserte profitetur. Ex quo vel remuneratoriae donationis genus non inepte collegeris. Docemurque cap. 6. X. d. *Donatt.* beneficia a Principe accepta latissimam sua natura interpretationem exigere. Quod abs re non esse, facile concesseris, quanquam ius ciuile non patitur, donandi animum temere prae sumere, l. 25. D. d. *Probatt.* modo cogites, Princes statui, quem sustinent, dignitati et splendori suo hoc debere, ut sint munifici, iisque saepe contingere, vnde ob inueteratam consuetudinem donandi necessitas gentium quasi iure imponatur. Ut risum moueat, qui facultatem pupilli nomine donandi Principis tutori ex l. 22. D. d. *Admistr. et Peric. tut.* negare ausit. Accedit hoc loco, ipsum instrumentum in probationem expectatiuae datum multis argumentis euincere, id egisse Electorem, ut suae donationi vim et effectum amplissimum conciliaret. Si non quidem solum in terminis expectantiae, id est, largiendi iuris adversus se et heredes suos ex promissione personalis, substitit, sed, ut beneficio suo summum robur perpetuitatemque conciliaret, omni modo, et cum aliquali erga se ipsum sirosque iniuria elaborauit. Quippe expectatiuos in euentum consoli-

solidationis feudorum promissorum inuestitos declarando, ius
 possessionis eorum, nullo praevio iterato traditionis vel inue-
 stiturae actu, apprehendendae, fructuumque capiendorum,
 tribuendo, nullaque et inefficacia dicendo omnia, quaecun-
 que in fraudem huius juris ipse sive heredes, extraneos
 expectiando, vel vasallorum consensu simultaneo inuestiendo,
 alioue quouis modo forte molirentur. Modum, omissa actu
 corporali, ipsis litteris inuestiendi, his verbis expressum le-
 gimus, *dieweil unser wohlbedächtiger Wille, Gemüth, und Mey-*
nung, dass stracks jtzto bey dieser Begnadigung in casum cadu-
citatis das jus dominii ohne tradition ihnen auf vorbeniente Maaf-
se hiermit verschrieben, concediret, und sie, ihre Leibes-Lehns
Erben und Nachkommen in Kraft dieses unsers offnen Briefs in
euentum beliehen seyn sollen. Quam ob rem non dubito, ean-
 dem efficaciam, transferendi ipso aperturae momento utilis
 dominii in legitimos expectiuariorum successores, admittere,
 quam omnium consensu peperisset animi huius declaratio
 in curia domini vel manus datione confirmata, vel nudis
 verbis expressa. Ut haec nostra charta inseruire possit illu-
 strandae et corroborandae sententiae, cui fidem facere proba-
 bilibus argumentis exemplisque idoneis laborauit diuus pa-
 rens, IOANNES GODOFR. in *Dissert. de Iure succedendi in*
Ducatus Iuliae et Montium feuda masculina §. 20. nimis tra-
 ditionem, non sua natura, sed ex praecepto iuris Romani
 ad efficiendum dominii transitum requiri, ius naturae non
 obstat, quominus, ex voluntate domini verbis disertis vel
 litteris expressa et patefacta, rerum dominia transferri existi-
 memus. Hanc naturae simplicitatem Germanos secutos fu-
 isse, resque suas vel symbolis notatas, vel, ipso symbolorum
 vsu posthabito, animi sui sententia viua voce expressa, alie-
 naesse, vereque alienatas reputasse.

A 3

Quod

Quod porro vidimus ab Electore, glorioſiſſimae memoriæ, factum esse, animo cauendi, quominus aliquando factum ſucceſſoris contrarium conſolidationis euentum moraretur, puto nullitatem factis eiusmodi omnibus adſcriptam, inutilis et ſuperuacanea cautio videri poſſit, ſecundum ea, quae in *d. Difſert.* §. 18. et 22. continentur. Lubensque concedo, obli-
gationis paſtiiae ex duorum conſenſu in idem placitum coe-
untis naturam efficere, vt neutrius poenitentia vel factum
contrarium ius ex pacto quaefitum alteri inuitio demere valeat,
t. 35. D. d. R. I. adeoque in concursu pluriū expeditiario-
rum feudum apertum adiudicandum eſſe, cui prius promiſ-
ſum fuerit, clauſulaeque *antes ferri* efficacie nihil tribuendum.
Et, ſi posteriori expeditiario euentualis inueſtitura acceſſe-
rit, hunc, ob dominii utilis iam translati potentiam, feudo
promiſlo vincere priorem, reliqua huic, vt, quanti interſit,
praeſtet, actione contra expeditiuantem. Quod ſimul infertur,
quaecunque poſt factam expeditiario inueſtituram euentualem
dominus directus in feudo promiſlo fecerit, vel admiferit,
quibus vel tardaretur conſolidatio, vel praecluderetur, *c. c.*
extraneos ſimul inueſtiendo, vel benefiциi venditionem ratam
habendo, horum nullo neque diſferri ius expeditiuarii inueſ-
titura euentuali comparatum, neque excludi, vt potius hic,
mortuis, quorum exitum expeditiua reſpexerit, promiſſum
ſibi benefiциum et in hunc euentum confeſſum iure ſuo ſibi
vindiceret. Etiam haec iuriſ communis rationi et bonae fidei
praeceptis conſentanea toto peſtore probo. Non poſſum tamen
non hoc ynum addere, grauiſſimam dubitationem contra hanc
ſententiam ex Lege feudali nouiſſima d. a. 1764. Tit. VI. §. 3. ori-
ri, planeque transformatam noſtro clientelari iure expeditiuarie
naturam apparere. Si quidem Serenifſimus Saxoniae Electo-
ralis Lator conſenſum ſuum pollicetur, fi quis feudi ſui, cui
aperturæ periculum non immineat, alienandi conſilium in ani-
mum

mum induxit, verbis; so sind wir auch ferner in dem vorhabenden Verkauffe und Veräußerung eines Lehngraths — — — so lange noch zweene in der Lehn stehen, welche von solchen Krüften, daß sie vermutlich noch Kinder zeugen möchten, den Lehn-Herrlichen Consens zu versagen nicht gemeynet etc. Nolis obiicere, verbis, nicht gemeynet, nullam consentiendi necessitatem suscipi. Ut potius, quod, se facturum esse, SERENISSIMVS PRINCEPS noster publica lege profitetur, si quis, an futurum sit, dubitet, eum laesae Maiestatis reum dicam. Nihil igitur tam naturale est, quam, vt hodie, qui feudum in Saxonia nostra Electorali sibi comparat, existimet, se rei eiusmodi acquisuisse, quam, permittente Spho i. et 3. d. Tit. VI. Leg. Feudal. ad dimidiam usque pretii partem oppignorare, et quam vendere possit, modo praescripto iuris ordine ingrediatur. Ampliusque ex his concludo, expectatiue post hanc legem concessionem, Principem expectuantem iure, feudi expectiuati oppignarationem eiusdemque venditionem approbandi, non destitui, nisi hoc ipso iure, vasallo consentiente, se abdicet, expectuariumque eiusmodi promissione sibi a Domino directo, inconsulto vasallo, facta, praeter spem vehementer incertam adipisci nihil, et ob hanc ipsam legem nouam existandum esse, in istam euentus incertitudinem consentire. Nec euentualis inuestiturae accessionem spem succendendi firmorem certioremque posse efficere, quum corruente principali, ut accessorium corruat, necesse sit.

Sed redeam ad nostram chartam, ad quam noui haec lex per se non pertinet, quaeque, dum apertura evenit, exitum habuit. In hac etiam amplius deprehendimus diuersitatem designatione successorum. Alibi feuda expectuata conceduntur expectuariorum, Leibes-Lehns-Erben, und deren Lehns-Erben und Nachkommen, und dann in Manglung des Männlichen Stammes dero Töchtern, alibi deren hinterlassenen Lehns-Erben, oder, da die nicht

vor-

VIII

vorhanden, deren anderen Leibes-Erben. Quae persuadere nobis posseant, quicunque expectuarii in feudis actu possessis succedere valeant, eosdem praesertim Principem ad successionem fundorum expectuatorum, et, eiusmodi personis inter posteros descentibus, demum filias earum ad successionem vocare voluisse. Ut adeo, expectuarii Comitis a T. filius, cui ex agnatis ius succedendi in feudis possesis testamento tribuere valuevit, in eundem simul eiusque posteros ius expectativa eventualique inuestitura quaesitum transtulisse, eo iustius videatur, quo certius ex instrumento donationis de propensa Principis in expectuarium voluntate constat, et quo liberiorem res ipsa admittere, quin postulare, videretur interpretationem.

Contra nec speciosa feudorumque naturae cognata argumenta desunt, quae putaueris petitioni caeterorum expectuariorum patrocinari. Primo enim hoc certum, Principem Electorem eorum abbas H. a W. et Dynastam C. a F. eadem clementia fuisse amplexum, quos vel prius, ac tertio demum loco Comitem R. D. a. T. procul dubio secundum dignitatis ab officio praestantium nominauerat. Dein, dum in evenitum defecuturae in unius gente masculae prolii, filias huic surrogatas iussit, tertiam feudorum partem sibi delatam pro aequabili pretio maribus ex altera vtraque gente superstitibus vendere, hoc ipso significare videretur, per se fieri posse, vt vel omnia feuda expectuata, vel dimidia eorum pars ad hanc illamue gentem perueniat, tertiamque partem uniuicique se adscriptissime propterea, quod singulis tantundem tribuere consultum habuerit. Quis enim facile opinetur, Electorem, si duos ex nominatis expectuare decreuisset, factam successionis spem ad duas tertias praediornm restrinxisse, ipsumque adeo, reliqua parte sibi recepta, communionem utilis dominii cum expectuariis inire voluisse. Scimusque praeterea, inuestitura unius feudi pluribus facta, neutrique certa portio-

portione adscripta, iure Germanorum beneficiario singulis integrum rem concessam existimandam, partesque pro numero concurrentium faciendas esse, v. I. F. S. 32 I. F. A. Cap. 45. Ordinat. Provinc. Anhalt. tit. 16. in LVNIG Corp. Iur. Feud. Germ. Tom. II. pag. 1924. Etsi inseguente tempore vsu venerit, vt, pluribus aequo iure ad feudum vocatis, singuli pro portione virili principaliter inuestirentur, conseruandaque successioni in reliquis portionibus inuestitura simultanea opituletur, quam consuetudinem Nouiss. Lex Feudal. Tit. 1. confirmavit.

Verum enim uero quanquam expectativa, sive promissio rei alienae feudi iure, quam primum ad promittentem redierit, feudale negotium non est, construendo tamen feudo viam parat, et ob id multa cum perfecto eo et absoluto habet communia, vt ex feudorum natura eius vim et efficaciam potissimum aestimare debeamus. Sic a Princepe, non electio iure imperante, profecta, reale quidem pactum, id est in successore promittentis eiusdemque herede obligatorium infert, *Lex nouiss. Feud. Tit. 1. §. 1. sub fin.* etiam, omissa successoris mentione, sed, prout haud nuda heredis qualitas, verum coniuncta cum successione in Principatu, dominioque directo rei expectuatae, transitum obligationis operatur, ex altera parte ius expectuari non tribuit eiusmodi, quod iuriuum pactiorum indole in heredes eius omnes transgrediatur. Etenim res decantata est, quaecunque constituant feudorum naturam, ea omnia, quouis feudo nobis oblato, simul cogitanda et assumenda esse; idque ad feudorum nobilium naturam in primis pertinere, vt ex altera parte praeter filios ex justo matrimonio natos, et, qui ex his descendunt, neminem successorem admittant, ex altera, vt filio-

B

rum

rum posteriorumque eiusmodi omnium successio adeo insit
 iuri feudi, vt feudi concessio per inuestitaram facta, filiis
 haud nominatis simul facta intelligatur, seu, prout loquun-
 tur feudistae, vt filii patris intiesitura simul comprehensi ex-
 flimentur. Per expectatiuam neque simplice, neque euen-
 tuali inuestitura munitam fit feudum, supponitur enim, ad
 alium illud utilis dominii iure pertinere, sed quoniam, in
 euentum consolitationis promittitur futurum esse, id est, rem
 iure feudi ab eo, qui expectare finit, quemque expectiuani-
 rem appello, concessu iri, non possunt, quae de ipsa bene-
 ficiaria successione praemissa sunt non pertinere ad rem pre-
 sentem. Et quemadmodum ex complexu pliorum, facta
 patri inuestitura, I A C. B O R N. d. *Expectat. Cap. VII. §. 14.*
 concludenti, expertatiuae legatum, mortuo ante legantem,
 legatario, non euanescere, sed in filiis legatari nominati ori-
 ginem capere, et perdurare, calculum alii recte adiiciunt,
 et si omnes scimus, legati diem non cedere, si legatarius te-
 statori non superuixerit; ex praemissis longe certius conse-
 quitur, successionem in ius expectiuarii tribui non posse, nisi
 habili ad successionem in feudum expectiuatum. Quod praeterea
 scimus, proprietates feudorum, salua eorum substantia,
 contrahentium, id est, domini ei vaſalli, pactis mutari
 ac tolli posse, non solum rem non mutat, sed confirmat.
 Efficit enim, donec de eiusmodi pacto constet, cuius, quia
 facti est, fides fieri debet, proprietati inhaerendum esse. In-
 deque consequitur, expectiuans feudum expectiuatum hoc
 iure ut, defectura mascula prole ad filias deuoluatur promi-
 serit, filiasque adeo ad successionem in ius expectiuario con-
 cessi vocauerit, vel si hoc ipsum ius tanquam alienabili, vel
 in omnis generis heredes transitorium, ipsumque beneficium
 in euentum aperturae tali iure habendum fuerit largitus, ut
 tum

tum demum ius expectativa partum, vel in filias expectativa transitorium, vel in dominio eius pleno constitutum, et in omnibus generis heredes transmissibile iudicemus. Caeterum vero, si res naturae sua reliqua, pactoque adiecto transformata haud fuerit, ad cognitionis, non hereditariam, qualitatem in aestimando successionis iure respiciendum esse. Quod nostro clientelari iure omnino indubium est, postea quam Serenissimo Llatori nostro placuit, *Rescr. ad Dycaferia d. 16. Sept. 1775.* dimisso declarare, filium ad simultaneam inuestituram ex patre in ipsum prouectam indeque natam feudi successionem admittere, adieritne patris hereditatem, an repudiauerit. His positis rem praesentem intueamur. Ex charta nostra conspicimus, ad successionem in ius expectatiatum vocari expectiuariorum *Leibes - Lehns - Erben und Nachkommen, oder in Mangelung des Männlichen Stammes, derer Töchter, et alibi deren hinterlassene Lehns - oder, da deren keine vorhanden, deren andere Leibes Erben.* Quum ne-
mo existimandus sit, sibi ipsi contradicere voluisse, certum est, his verbis omnibus expectiuantem eandem animi sui sententiam prodiisse, magisque contractis, *hinterlassene Lehns - oder, da deren keine vorhanden, deren andere Leibes Erben, vsum fuisse compendii causa, opinatum, per antecedentia prolixiora voluntatem suam se dilucide satis aperteque declarasse.* Ut adeo in his solis haerere debeamus. Appellatione *Leibes Erben* non cognatos omnes, solos liberos cogitari, notariique solere, loquendi usus adeo euincit, ut otiosum sit, ampliori afferre demonstrationem. Nec inepte liberos dicimus *Leibes - Erben*, quippe ex corpore nostro prouenientes. Patet igitur, aptissimam hanc esse coniunctionem, alteriusque per alterum illustrationem, in appellatione *Leibes - Lehns - Erben* positam. Quandoquidem vnam filiorum in feudis regularibus

bus successionem antea esse diximus. Accedit, nominationem *Nachkommen*, quam praeterea legitimus, descendantibus tribui frequentissime. Denique verba finalia dispositionis in ordine successionis definiendo laborantis, oder in *Manglung des männlichen Stammes, dero Töchtern*, dubitare non sinunt, hanc vnam in succedendo impropietatem, ut singularem animi propensionem et clementiam suam significaret, expectiuantem admittere voluisse. Ob dignitatem splendoremque summum munificentiae Principalis, iteratamque testificationem animi optime cupientis in sententiam inclinarem, esse sortem fundosque promissos plenissimi dominii iure donataris tribuendos, si non res iure feudi possidenda subessent, successionisque termini in tabulis expectatiuae conscripti talismodi extensiōni reluctarentur. Est enim, si quid video, vehementer credibile, Principem talia meditantem futuros successores appellatione *Land-Erben* insigniūsse. Aequē minus possessio fundorum beneficiariorum tam illimitato dominii iure munita, ut testamento successorem designare licuerit, in uno expectiūario, Comite a T. conspicua, ut mutem iudicium, efficiunt. Quando quidem in re dubia, vim et effectum expectatiuae, largior, ex qualitate fundorum expectiuatorum recte aestimari. Contra, qui fundos expectiuariorum proprios in hunc censum vocare velit, non offendat solum notissimum illud philosophorum scholae praeceptum, a diuersis ad diuersa iustam conclusionem haud produci, sed admittat etiam in re praesenti absconum illud, pro iuriū, quibus quisque expectiuariorum in suis possessionibus veteretur, diuersitate, alia atque alia singulis, in portionibus fundorum expectiuatorum, iura asserenda esse.

Ex aduerso eorum, qui a caeteris expectiariis, Dynasta ab F. et equite a W. descendunt, petitioni, iuris bene-

beneficiarii praecepta magis patrocinarentur, si dominus directus in eo substitisset, ut tribus illis expectuariis coniunctim spem faceret, praediorum olim capiendorum. Neque huic interpretationi refragarentur verba, quae in charta nostra legimus; *dass alsdem, und ehe nicht berührte Güther und Baarschaft* — — — *an mehrgedachte H. v. W. C. Freyherrn von F. und R. D. Grafen und Pannerherrn v. T.* — — — *zu gleichen Theilen fallen, dergestalt, da einer oder der andere mit Tode abgehen sollte* — — — *es trage sich die Eröfnung, oder der Anfall, zu über kurz oder lang, wenn er wolle, doch unter ihren hinterlassenen Lehn- oder, da dero keine vorhanden, dero anderen Leibes-Erben, solche jedesmahl in die Stämme, und nicht in die Häupter zugleich getheilet werden sollen.* Ut potius, si haec sola cognoscendo successionis iuri faciem practient, iudicarem, singulis in solidum feudorum expectuatorum aliquando capiendorum spem factam esse, portiones ex concursu plurium gentium, simili iure pollutum, instituendas, vniue adeo genti superstiti feuda integra, neutiquam accrescendi quodam, potius non de crescendi iure, tribuenda. Tale vero iudicium ferre non sinunt verba mox in sequentia, *Nehmischen und also, dass jedes sein Stamm, es befinden sich darinne wenig, oder viel Personen, den dritten Theil von den eröfneten und heingefallenen Güthern und Lehnstämme bekommen und erlangen, quae, dum diserte tertiam partem feudorum expectuatorum cuiuslibet expectuario eiusque posteris adscribunt, consequitur, non trium personarum stirpium aequali iure gaudentium numerum, ipsam potius institutionem, quae huic successioni causam dedit, efficere, vt quaelibet earum tertiam partem nanciscatur.* Nec maiorem singulis partem tribui posse ex eventuali inuestitura, expectuiae adiecta, fidem faciunt verba, quibus continetur, *dass stracks bey dieser Begnadigung*

XIV

in casum caducitatis das ius dominii ohne tradition ihnen auf vorbeniente Maase hiermit verschrieben — — — und sie — — — in Kraft dieses unfers ofnen Briefes in euentum beliehen seyn sollen. Ius accrescendi superstiti expectiuariorum proli aequo minus patrocinari, quis, me etiam nihil monente, non intelligat. Quippe quod in hereditatibus legatisque obuium, ex testamento, quod liberiorem recipit interpretationem, l. 12 D. d. R. I. obuenientibus, ad successiones sua natura produci non patitur, quae ex paecto debentur. Siquidem, stipulanti ultra expressam promittentis voluntatem largiendum esse nihil, omnes nouimus, l. 36. D. d. Paet. Hoc vnum tamen addam, in re praesenti ne tum quidem expeditum fore, superstribus expectiuarii accrescendi ius opitulari possit, an minus, si expectandi ius in legato, non donatione inter viuos contracta, niteretur. Videlicet, si IAC. BORNIO in *Dissert. d. Expectat.* Cap. VIII. §. 17. et, qui hunc sequitur, PÜTTMANN in *Element. Iur. Feud.* Cap. XII. §. 282. existimantibus, inter expectiuarios ex legato tales accrescendi ius obtinere, concedimus, certe, in primis de eo solliciti simus, oportet, num legatum ita conceptum sit, ut permittente iuris Civilis ratione incremento locum dare possit. Euicitque IOH. AVG. BACH. in *Diss. d. Iure Accrescendi* §. XIV. argumentis admodum probabilibus, coniunctionem non re ipsa, sed verbis, factam, qualem verba expectatiuae hic transcripta exhibent, locum non facere iuri accrescendi. Caeterum etiam hi iuris beneficiarii interpretes, aliquie consentiunt, vnum ex pluribus expectiuariis mortuum improlem caeteris, si actu inter viuos expectatiua facta sit, nihil professe.

His igitur argumentis conuictum collegium nostrum, eius rei causa consultum, iudicauit, vtriusque partis petitio nem

nem iuris adiumento destitui, partemque tertiam feudorum expectiuarum ex defectu legitimi successoris SERENISSIMO DOMINO DIRECTO ELECTORI, PRINCIPI NOSTRO INDVLGENTISSIMO apertuae et consolidationis iure delatam esse.

Hisce in publicum proferendis opportunitatem praebuit Candidatus, praeter morum elegantiam, egregia varii iuris scientia commendabilis

CHRISTIANVS IACOBVS EISENSTVCK

de se suisque rebus sic differens:

Natus sum Annabergae a. d. XIII. Mart. MDCCCLXII. pater mihi cognomine, mercatore et senatorio, qui urbi patriae praefest, ordini adscripto, matre DOROTHEA CATHARINA, e gente RIDDERIA. Ab his parentibus, quos superstites adhuc venerari contigit, quibusque indulgentiores et de me bene educando magis sollicitos ne optare quidem poteram, primum domesticae I. A. MÜLLERI ac ROSCHII institutioni traditus sum, hoc vero ad munus Correctoris in schola patria obeundum euocato, vergente anno MDCCCLXX. eandem frequentare coepi. Cuius sub sellis in RAVSCHELBACHII, b. KRAVSII, b. SCHIEFNERI, ROSCHII, ac GRIMMII disciplina per septem, et quod excurrit, annos tritis, usus quo-

XVI

quoque interea priuata G. F. MÜLLERI, Conrectoris rude donati, institutione, ab optimis praeceptoribus, quorum in me tanta sunt merita, ut gratam eorum nunquam depositurus sim memoriam, Lipsiam dimissus sum. Ibi ab ERNESTIO tum iun. mense Maio anni MDCCCLXXVIII. in album academicum relatus, in Logica SEYDLITZIVM, in eadem, et Metaphysica, nec non morum doctrina, iure naturae, aesthetica, humanique corporis economia explicanda PLATNERVM, in matheſi, qua pura, qua applicata, GEHLERVVM iun. in physice b. LUDWIGIVM praeceptores habui. MORVM et b. CLODIVM veteres utriusque linguaꝝ auctores explicantes, ECCIVM super Germanorum poëſi differentem, MARTINI de Archaeologia verba facientem audiui. Historiam I. R. G. Europaeam et Saxoniam, nec non artis diplomaticae praecepta mihi tradidit WENCKIVS. Ad iurisprudentiam quod attinet, in iure naturae, iure publico uniuersali, historia iuris civilis, Institutionibus et Digestis SAMMETIVM, in his etiam SCHOTTIVM, eundemque in iure canonico, criminali et Saxonico, SEGERVM in iure Germanico priuato et criminali, KINDIVM in clientelari, in iure publico I. R. G. WENCKIVM et ARNDTIVM, in cambiali STOCKMANIVM fecutus sum. Ordinis iudicarii scientiam ab EINERTO et b. ZOLLERO, ab hoc quoque artem e iudicium commentariis rendi accepi. Medicina legali a b. PLAZIO et PLATNERO imbutus sum. Disputando BIENERVS me exercuit. Ius ciuale examinando mecum repetit WOLLIVS. Anno MDCCCLXXXI. a. d. X. Maii dissertationem de legislationis origine et natura EINER-

TO



to praefide defendi, consuetasque in cap. 9. X. de Simonia et
 l. 4. C. de commerciis et mercatoribus habui p̄aelectiones. Quo
 factio, superatoque examine, Iuris utriusque Baccalaureus ab Ill.
 ICtorum ordine creatus sum. Vt studiis meis academicis coronidem
 imponerem, Goettingam me contuli. Vbi, postquam MVRRAY,
 academiam tum pro rectore moderans, mense Oct. a. MDCCCLXXXI.
 ciuitate academica me donauerat, PÄTTERVM historiam I. R. G.
 eiusdem Imperii ius publicum, ius priuatum principum, et ordinem,
 quem suprema I. tribunalia sequuntur, iudicariū explicantem au-
 dirai, in eiusdem scholis, quas vocant, prædictis in arte de rebus fo-
 renibus scribendi, dicendi, iudicandi, cauendi exercitatus. BÖH-
 MERO ius canonicum, de SELCHOV ius Germanicum priuatum,
 b. BECKMANNO sen. Pandectas et libellum Böhmerianum de actioni-
 bus, BECKMANNO politiam artemque circa reddituum publicorum et
 exactionem et administrationem prudenter versandi explicitibus,
 SCHLÖTZERO regnorum Europaeorum notitiam nec non Italiam
 medii aeui historiam, SPITTLERO res gestas Pontificum Romano-
 rum tradentibus, WALDECKIO super iuris civilis controversis dis-
 sidenti assedi. Artem veteris ac medii aeui monumenta legendi et
 intelligendi, GATTERERO duce, retractauit. Quibus omnibus, quo-
 rum institutione in utraque academia usus sum, p̄aeceptoribus grati
 animi sensum publice iam declarandi opportunitatem allatam esse, im-
 pense laetor. Mense Oct. anni MDCCCLXXXII. in patriam reuer-
 fuis specimen, quod solent, qui in foro versari cupiunt, edidi.
 Quod cum Ill. regiminis Dresdenis tulisset suffragia, in forum pa-

C

rans

XVIII

rans transistum, Dresdam mense Aprilis anni MDCCCLXXXIII. me
contuli, ibique forensibus exercitari coepi negotiis, caussas publice
perorandi facultate mense Maio anni MDCCCLXXXIV. impetra-
ta. In qua urbe quum haud decesse viderem, qui mihi bene cuperent,
inter quos viros illustres BIEDERMANNVM et WEINLIGIVM,
utrumque Serenissimo Electori Saxoniae ab aulae et institiae consiliis,
illum a sanctioris quoque consistorii secretis, pius gratiusque primo
loco nominare gesit animus; tares ibi, quoad sata voluerint, per-
petuos figens, forensi vitae totum me mancipavi.

Ad nos redux posteaquam lectiones pro licentia in cap. vn.
X. de offic. primicerii et l. i. C. de his qui in priorum credito-
rum locum succedunt, habuit, et examen rigorosum gloriose
sustinuit, Dissertationem denique, De modo, superioritatis ter-
ritorialis iura contra eos, qui se illi subiectos esse negant, legitime
persequendi, erudite conscriptam, prout virum decet, tuitus
est, absolutis eriam, qui pro gradu appellantur, lectionibus
super Cap. 7. X. de restituzione spoliatorum, et l. i. C. de bo-
norum possessione contra tabulas, quam praetor liberis pollicet-
tur, summos in utroque iure honores, hisque annexa iura
et priuilegia omnia heri in collegio nostro, praeuia solemni
creatione consecutus, simulque ius adscriptus est, cui, pre-
stis, quae praestanda restant, in collegio nostro suo or-
dine aliquando assidere liceat, et in horum numeruni rece-
ptus. Haec omnia more maiorum peracta esse, hac tabula,
im-

XIX

impresso, plenioris fidei causa, Sigillo nostro, significamus.

Domin. II. post Fest. S. S. Trinit. A.C. MDCCCLXXXV.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA



XII.

Heilige Dreiheit und der Heilige Geist
heilige Dreifaltigkeit und der heilige Geist

Dominus noster Iesu Christus. Amen. A. G. MDCCCLXXVII.

LIBRARY

EX. LIBRIS CIRCA 1800



Leipzig Diss. 1785 A-0

ULB Halle

004 317 580

3



f

56.





ORDINARIUS
SENIOR CAETERIQUE ASSESSORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSSENSIS
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
P. 335
CVM SPE
QVONDAM IN COLLEGIO LOCVM OBTINENDI
VIRO CLARISSIMO.
CHRISTIANO IACOBO EISENSTVCKIO

IVR. VTR. BACCAL. ET ADV. IMMATR.
D. IV. IVNII A. C. MDCCCLXXXV.
COLLATOS INDICVNT

INEST
*De vi et effectu Expectatiuae pluribus simul tributae
breuis disquisitio.*

